

*ter di-* copias in eadem fere significatione sumant, placuit  
*vitias,* tamen Grammaticis inter has voces tale discrimen  
*opes &* facere, ut *Divitias* dicant esse necessitatis, qualia  
*copias.* Græcis fere sunt *χρήματα*, *Opes* autem abundan-

*Divi-*  
*tia di-*  
*vidun-*  
*tur in*  
*natu-*  
*rales &*  
*artifi-*  
*ciales.*

*Pecu-*  
*nia un-*  
*de di-*  
*catur?*

*Pro-*  
*verbiū:*  
*Bos illi*  
*semper*  
*in lin-*

tia, ut Græcis est *εὐπορία*, *Copias* denique affluen-  
 tia, ut huic vocabulo nomen *πλοῦτος* respondeat,  
 habens originem a Plutone, quem græca vani-  
 tas deum & largitorem bonorum constituit. Ipsæ  
 divitiæ dividuntur a Philosophis in naturales & ar-  
 tificiales. Illæ sunt, quibus primum succurritur  
 indigentia humanæ, quæque oriuntur ex terra,  
 & quas res pecuaria producit. Hæ vero dicuntur,  
 quæ non juvant vitam proxime, sed eatenus, qua-  
 tenus earum beneficio naturales divitiæ v. g. cibus,  
 potus, vestitus &c. comparantur. Ad hasque in-  
 primis refertur moneta, hoc tempore Regis aut  
 Principis alicujus sigillo & imagine notata, qua in  
 permutatione mercium uti solemus. Latinis ea  
 dicitur Pecunia a pecude. Referente enim Ale-  
 xandro *Genialium Dierum Lib. IV. Cap. XV*: Roma-  
 ni olim pecudibus & jumentis bobusque res per-  
 mutare, fontesque plectere solebant: æstima-  
 baturque bos centussibus, ovis vero decussibus.  
 Quin & pecudis notam impressam nummis legi-  
 mus, in quibus signum ovis bovisque confectum  
 ex Livio, Plinio ac Plutarcho constat. Ex quo æs  
 signandi more proverbium enatum creditur: *Bos*  
*illi semper in lingua*, de illis usurpari solitum, qui  
 inexhausta aviditate pecunias corradunt, de iis-  
 que